Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

In singularum spei. Emblema XLIV.

urn:nbn:de:bsz:31-127360

Visual Library

Stella qd ſignificet. ſtellam ſignificare lætum ac proſperum, idq; ex Ateio Capitone, auctoritatem ſecu- *Lux quid hieroglyphicè.* to Seruilii auguris. Lucem etiam ſeu lumen, id eſt φῶς, pro ſpe accipi ſollemne, fuit, vt apud M. Tull. 1. Philippica: Lux quædam videbatur oblata, &c. Euripid. item, *φῶς ἦ κει ἐμοῖς κακοῖς lux venit meis malis*. Nam & Varro de lingua Latina 2. teſtatur, lumẽ pro fauſto omine veteribus fuiſſe. Ex quo illud Virgilii:

----- ſubitoq; fragore
Intonuit læuum, & de cœlo lapſa ꝑ vmbras
Stella facẽ ducẽs multa cum luce cucurrit.

Sidus. *Sidera*] Sidus Latinum vocabulum eſt, ideo per i. & non per y. ſcribendum, vt faciunt imperiti: ſic etiam Cõſiderare, Deſiderare. Eſt autem ſidus conglobatio multarum ſtellarum, quod aliqui conſtellationem dicunt, vt Taurus, Orion. Quamuis aliquando ſidus pro ſtella ponatur, contra Macrobij præceptum.

IV. *Allegoria.* NON eſt alienus animus ab illa allegoria, quam ſupra tetigimus, vt ſcilicet per nauem procellis agitatam Reſpublica intelligatur, per lucida ſidera Summus Pontifex, & Chriſtianiſſimus Imperator, fratres nempe formoſiſſimæ Helenæ, Eccleſiæ Catholicæ, qua nihil ſpecioſius: hi etenim in flagrãti turbine Reipub. Chriſtianæ ſpem nobis addunt non modicam. *Caſtoris & Pollucis.* Eſt autem nobis in aduerſis amplexanda ſpes proxima & firmiſſima, quæ nec fallit, nec fruſtratur vnquam; de qua Pſal. 9. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. *Spes.* De hac clamat Eccleſiaſt. 2. Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim inuocauit eum in die tribulationis, & deſpexit illum? Hanc vas electionis ad Roman. 5. inculcat: Gloriamur, inquit, in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem; ſpes autem non confundit.

In Simulacrum Spei.

EMBLEMA XLIV.

DIALOGISMVS.

QVÆ Dea tam læto ſuſpectans ſidera vultu?
Cuius peniculis reddita imago fuit?
Elpidij fecere manus. Ego nominor illa,
Quæ miſeris promptam Spes bona præſtat opem.
Cur viridis tibi palla? Quòd omnia me duce vernent.
Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quod viuos ſperare decet, præcido ſepultis.
Cur in dolioli tegmine pigra ſedes?
Sola domi manſi volitantibus vndique noxis,
Aſcræi vt docuit Muſa verenda ſenis.
Quæ tibi adeſt volucris? Cornix fidiſſimus oſcen;
Eſt bene, cùm nequeat dicere, dicit, erit.
Qui comites? Bonus Euentus, præcepſq; Cupido.
Qui præeunt? Vigilum ſomnia vana vocant.
Quæ tibi iuncta aſtat? Scelerum Rhamnuſia vindex,
Scilicet vt ſperes nil, niſi quod liceat.

COMMENTARII.

I. QVOD attinet ad picturam ea ad Authoris mentem ſic exprimenda fuerat. Mulier viridi palla induta fundo dolioli inſideat, vultu ad cęlum eleuato, arcũ fractum manibus geſtans: cui cornix appicta ſtet, & pręcedat Cupido, more ſolito nudus & alatus pictus; tum Bonus euentus, habitu ſimplici, dextra pateram, ſiniſtra ſpicam & papauer oſtentans. A tergo verò aſtet Rhamnuſia, fræno & cubito armata. Hic tamen pictoris ſocordia cornicem relegauit, quam deſidero, vti etiam Spei erectos ad ſidera vultus. Doliolum noſtris moribus depictũ Pignorius cenſet æquius fuiſſe teſtaceum exprimendum, quamuis & ligneum ab antiquitate ſit, vt idem in Commẽtario de ſeru.s pridem annotauit. Hæc ad mentem Alciati: interim non me fugit, Spem, (Deam à Romanis cultam æde in foro olitorio ædificata) a\ter quoq; pingi ſolitam: nam ait Gyraldus, eam ſe vidiſſe pictam in Adriani Imperatoris aureo numiſmate. Fęmina fuit ſtans, inquit, iuſtitiæ laciniam ſiniſtra manu nonnihil attollens: dextra in cubitum elata pateram proferebat, in qua repoſitum erat veluti ciborium, id eſt, vas in floris ſimilitudine, cum hac inſcriptione SPES P.R. Quidam etiam Spem Deam viridi indutã pallam effiuxerunt, & ſedentem ſupra dolium cum cornice: quidam etiam cum Nemeſi, &c. Hæc ille. Vide Syntag. 1.

Correctio figura.

Ædis ſpei.

EX varijs locis aptè concinnatum eſt hoc Emblema, quapropter ſingula percurramus, vt vnicuique ſuam explicationem adaptemus, vbi priùs huc adſcripſerimus doctiſſimi viri B. Dardanij epigramma in Spem, vt, ſi fieri poſſit, cum Alciati Emblemate conferamus. Eſt autem eiuſmodi: II.

Epigramma in ſpẽ.

Tu, quæ ſuſtentas tereti veſtigia ligno,
Esne Dea? an noſtro sãguine creta? Dea.
Vnde ſata? E cæca rerum caligine. Et ecqua
Admouit nutrix vbera? Credulitas.
Ecquinam à tergo plaudunt ti i? Gaudia.
Dic quis
Pallidulo ſemper te præit ore? Timor.
Suſpicis intento cur cœlum lumine? Tandẽ
Hinc dabitur votis meta ſuprema meis.
Fare, age, q̃ vultus deturpat cauſa ſerenos?
Excrucior, quoties irrita vota cadunt.
Cur baculo innixa es? Dum paſcit opinio
mentem

Cæca

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Cæca meam, irrepſit curua ſenecta mihi.
Quid titubas pedibus? Rerum eſt ſpes lubrica: ſæpè
Quod puto complecti, labitur è manibus.

Huic verò Emblemati, vt & 46. infrà, mirum ni occaſionem dederit Marullus, qui lib. 3. Carm. ita ſcripſit de ſpe & Nemeſi:

Quænam hæc, tā ſemper quæ lat[illegible] eſt? Optima rerum
Spes bona. Quæ lateri iuncta? Potens Nemeſis.
Dux magis an comes eſt? Vindex magis. Vnde duabus
Tēpla eadem? Speres ne niſi quod liceat.

Et hinc licet videre quàm minimè pudue rit clariſſimum virum laudatis aliorum veſtigijs, & quidem non ſemel, inſiſtere, quod neſcio quibus nimium delicatulis religioſum fuiſset.

III. *Omnia bona à Deo.* *SVSPECTANS ſidera vultu*] Videtur hic verſiculus exprimere geſtus ſperantiū, qui ſemper cœlum intuentur. quoniam omnia bona è cœlīs, atq; à Deo ipſo bonorum omnium datore proueniunt. Huius expectationis ſignum expreſsè notauit regius Pſaltes, Pſal. 120 ἦρα τὺς ὀφθαλμὺς μȣ εἰς τὰ ὄρη, ὅθεν ἥξει ἡ βοήθειά μȣ. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et 122. πρός σε ἦρα τὺς ὀφθαλμὺς μȣ τὸν κατοικȣ͂ντα ἐν τῷ ὀρανῷ. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.*

Peniculus. *Peniculis reddita imago.*] id eſt, penicillo depicta & expreſsa. Peniculus, vel penicillus ſiue peniculum, pictorum eſt inſtrumentum, ex caudarum extremitatibus cōfectum, quaſi dicas, paruum penem. Plin. 35. lib. Arrepto peniculo lineam ex colore duxit ſummę tenuitatis per tabulam.

Elpidius. *Elpidij fecere manus*] Nullus extitit, quod ſciam, pictor aut ſtatuarius hoc nomine, ſed eſt nomen è re fictitium, nam ἐλπίδιος ἀπὸ τῆς ἐλπίδος, hoc eſt, à ſpe, quam depinxit, nomen habet.

Ara bonæ Spei. *Spes bona præſtat opem.*] Alludit ad Prouerb. *Spes ſeruat afflictos.* &, *Spes alunt exules.* Ouidius:

Spes bona dat vires, animum quoque ſpes bona firmat:
Viuere ſpe vidi qui moriturus erat.

Sed & memini legere me apud Plutarchū, olim Romæ aram fuiſse bonæ Spei. Cui conuenit & verſiculus è Comędia quapiā:

ἀνὴρ ἀτυχῶν σώζεται ταῖς ἐλπίσι.

Hæc explicatius dixit Ouidius 1. de Ponto, Eleg. 7.

Hæc Dea, cùm fugerent ſceleratas Numina terras,
In Dijs inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit, vt viuat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.
Hæc facit, vt videat cùm terras vndique nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aqs.
Sæpe aliquē ſolers Medicorū cura relinquit,
Nec ſpes huic, vena deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atq; aliqs pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quàm multos laqueo ſua colla ligantes,
Non eſt propoſita paſſa perire nece.

Spes quoq; commoda deſcribit eleganter Tibullus lib. 2. Eleg. vlt.

Iam mala finiſſem letho, ſed credula vitā
Spes fouet, & melius cras fore, ſemper ait.
Spes alit agricolas. ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Spes etiam valida ſolatur cōpede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.
Spes facilem Nemeſin ſpondet mihi: ſed negat illa.
Hei mihi, ne vincas dura puella Deam.

Cur viridis tibi palla?] Palla veſtimenti genus eſt ad terram vſq; promiſſum. Viridis autem color eorum eſt propius, qui ſpe aliqua lactantur: nec immeritò is ſpei fuit dedicatus, ſimilitudine ducta à ſegetibus, quas quando virides videmus, ſperamus illas ad maturitatem peruecturas. Hæc ſubindicat Alciatus in emblemate illo de coloribus: *Palla. Cur viridi veſte induta ſpes.*

Nos ſperare docet viridis, ſpes dicitur eſſe.
In viridi, quoties irrita retro cadit.

Quid manibus mortis tela, &c.] Refracta mortis tela non temerè Spei tribuuntur, quòd viuos etiam in extremas miſerias adactos ſoletur & recreet, vt enim habet Adagium, *Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt*: & Theocritus: *Fracta tela mortis.*

Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον,
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χὼ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει. hoc eſt:

Fidere, Batte, decet, melius cras forſan habebis,

Sperandũ eſt viuis, non eſt ſpes vlla ſepultis,
Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere fulget.

Quidam Rhodius ob intempeſtiuam libertatem à tyranno iniectus in caueam, in qua more feræ alebatur, ad cruciatum ignominiamq; amputatis naribus, ac fœdata vulneribus facie, cùm à quibuſdam admoueretur, vt inedia ſibi dolorum finem aliquem quæreret, his reſpondit: At cuncta homini, quoad viuit, ſperanda ſunt. Quæ dum commentor, lubens adijciam Fornerii, præclari certè hominis diſtichõ, quod ille vtraq; lingua, eademq; ſententia ſuggeſſit:

Ἐλπὶς γηροτρόφος μούνη τρέφει ἔνδοθι ἦτορ,
ἧς ἀπάνευθε θανεῖν ἥδιον, ἢ βιοῦν.

Intus alit pectus noſtrũ ſpes viuida: qua ſi
Deſtituar, durum eſt viuere, malo mori.

Spes etiã in moribundis. Ammian. Marcell. lib. 31. quo loci de bello planè cruento & miſero aduerſus Germanos agit; & cùm omnia cæſorum corporibus opplerentur, iacebant inter eos quidam ſemianimẽs ſpem vitæ inaniter vlurpando. Apollodorus Comicus huc reſpexit, cum ait, non oportere animum abijcere eum, cui aliquid aduerſi ceciderit, ſed ſemper expectandum eſſe melius.

οὐδέποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πάσχοντα δεῖ
ἄνδρες. τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν ἀεί.

Quod viuos ſperare decet &c.] Sic ordino: *Præcido ſepultis* illud, *quod decet ſperare viuos*: vt illud, *quod*, ſit in accuſandi caſu, non coniunctio. *Præcidere.* Præcidere verò hic amputare, vel denegare ſignificat: & dicimus, ſpem alicuius rei præcidere, id eſt, auferre ſiue præcludere, vt apud Ciceron. 2. Verr.

Cur in dolioli, &c.] Ignauiæ hæc nota eſſe poteſt. *Locus ex Heſiodo.* Nam ferè dum ſperamus, deſidemus: ſed malim hoc ad fabulam referri, quam tradit Heſiodus de Pandora, principio fermè libri, qui ἔργα καὶ ἡμέραι inſcribitur. *Fabula de Pãdora.* Cum enim Prometheus ignem ſuffurando Iouem offendiſſet, cauſa fuit mũdo tantorum malorum: fabricatur virgo Pandora, formoſiſſima & gratioſiſſima, cui ſinguli Dii dona contulerũt: vti Pallas ſapientiam, Venus decorem, Mercurius eloquentiam &c. vnde & nomen habuit, πᾶν enim *omne*, & δῶρον *donum* ſignificat. Mittitur ergo Pãdora in terram, dolium afferens Epimetheo fratri Promethei, omni malorum & morborum genere refertum. Hoc cũ aperuiſſet, innumerabilia calamitatum genera tũ primùm homines inuaſerunt vna tãtùm ſpe in dolii labris remanente, id eſt, in ipſius ore pyxidis conſiſtẽte. Sic enim Heſiodus:

ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα
ἐσκέδασ'· ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά.
μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι
ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
ἐξέπτη. hoc eſt,

----- Tegmen ab vrna
Dum Pandora leuat, totũ exiliere per orbẽ
Curarum infeſta effigies: ſpes ſola remanſit
Intus, & è labris ima ſub parte reſedit.

In adagio, *Malo accepto ſtultus ſapit.* narratur hæc fabula, ſed conciſè, & videtur innui Epimetheum aperuiſſe pyxidem (ſi pyxis vocandum eſt vas illud, quod omnia mala continebat, & non dolium) cùm ipſa Pãdora in domo Epimethei vas aperuit. Certè verba Heſiodi non indicãt, vas illud poſſe Latinè dici pyxidem,

ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα. hoc eſt:

Sed mulier manibus magnum operculum auferens.

Vide Plutarchũ in conſolatione ad Apollonium. Moſchopulus in Heſiodum, Satyros dicit dolium dediſſe Epimetheo ante Pandoræ aduentum. Origenes aduerſus Celſum lib. 4. hanc ridet fabulam. Ridiculum, inquit, eſt, quod de dolio dicitur, quòd olim viuerent homines abſq; malis, & graui dolore, & morbis moleſtioribus, quæ Parcę mortalibus dederant: ſed fęmina manibus magnum dolii operculũ auferens, diffudit hominibus, & curas atroces partita eſt; ſola autem ibi Spes in tutiſſimis domibus intus relicta eſt ſub dolii labris, nec extra euolauit. Hęc Origen. Mythologi tamen Pandoram, ad humanum corpus referunt, fœmineo nomine expreſſum, quòd carnis imbecillitas minime exſolui poteſt. *Pandora.*

Noxis] Noxæ Deæ finguntur, quæ hominibus mala inferunt, eorumque mentes perturbant, vt canit Heſiodus. *Noxæ.*

Aſcræi vt docuit, &c.] Heſiodus ab A- *Heſiodus.*

ſcra

ſera Bœotiæ vico. Virg. 6. Eclega:

------ Hos tibi dant calamos, en accipe, Muſæ
Aſcræo quos antè ſeni.

Quæ tibi adeſt volucris? Cornix.] Quòd vocem edat, Cras, Cras, cornix Spei adſũgitur, propterea quod ſemper qui ſperant animi pendeant in futurum tempus.

Oſcen.

Oſcen] Oſcen dicitur cornix, quia voce augurium præſagit, vt de ea Virgilius:

Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.

Omnes namq; aues ore cãtuq; auſpicium facientes, priſcis oſcines fuerunt vocatæ, ait Varro, Crinit. lib. 21. cap. vlt. de honeſt. diſcipl. vt & apud Horatiũ lib. 3. Ode 27.

Oſcinem coruum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.

Locus ex Suetonio.

Et bene cum nequeat dicere, dicit erit] Videtur hoc imitatus, & quidem mutuatus ex Suetonii Domitiano, qui ſic ait: Ante paucos, quam occideretur, menſes cornix in Capitolio elocuta eſt: ἔςαι πάντα καλῶς. id eſt: *omnia rectè procedent*. Nec defuit, qui oſtentum ſic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene, non potuit dicere, dixit, erit.

Hæc Suetonius Trãquillus in fine operis. De fortuna in melius mutata, 11. Æneid. Virgil.

Multa dies, variuſq; labor mortalibus ægris
Rettulit in melius: multos, alterna reuiſens
Luſit, & in ſolio rurſum fortuna locauit.

Athanaſij præſagium.

Sed ad rẽ propius: ex hiſtorijs eccleſiaſticis meminimus, Athanaſium, virum ſanctum, à paganis ſuggillatum, quaſi magicis artibus deditum. Illum ergo excipientes ludibrio, audita cornicula, poſcebant, quod omen illud eſſet? reſpondit: Auis dicit, cras, cras, pronunciat enim vobis triſte de Iuliano infortunium. Quod verum conſtitit, nam paucis poſt diebus relatum eſt de cæde Iuliani nuncium.

Qui comites? Bonus Euentus, &c.] Duo hi Spei comites vana quędam phantaſmata ingerunt, ne plus tædij adferat expectatio, quàm ferre queant miſeri mortales.

Bonus Euentus.

Boni Euentus ſimulachrum dextra pateram, ſiniſtra ſpicam ac papauer tenẽs, ſculptum Romæ fuiſſe ſcribit Plin. libro 34. c. 8. & 36. c. 5. Boni Euẽtus, & Bonæ fortunæ ſimulachra in Capitolio ex Praxitelis operibus. Gyrald. Syntagm. 1. Leg: de veteri numiſmate Imperatoris Titi, vbi quoddam ſimulachrum fuit BONI EVENTVS AVGVSTI, dextra pateram ſiniſtra papauera tenens, vt apud Plin. Et in Seueri numo eadem Boni Euẽtus ſpectatur effigies, figura ſtolata, ſtante, dextra pateram cum frugibus, ſiniſtra ſpicam & papauer tenente. Circumfertur libellus Bartholomæi Marliani, qui inſcribitur Topographia vrbis Romæ, vbi lib. 6 cap. 6. hæc verba reperiuntur: Templi Boni euentus veſtigia quadrata & oblonga ſpectantur, inter Mineruæ & S. Euſtathij plateas Colebatur autem euentos, vt omnia proſpere fœliciterq; euenirent. Quare Varro ad Fundaniam ſcribẽs, ipſum inuocauit. Cuius ſimulachrũ erat habitu pauperis dextra manu pateram, ſiniſtra verò tenẽs ſpicam. Vide Alexand. ab Alexand. Dier. genial. lib. 4. cap. 12.

Templũ Boni Euentus.

Qui præeunt?] Hæc verba mihi videntur poſſe melius legi ſine interrogatione, & ad ſuperiora referri, vt intelligas Bonũ euentũ & Cupidinem Spei eſſe anteambulones, qui etiam vocantur ſomnia vana vigilum. Sed de hoc liberum eſto iudicium.

Spes vigilum ſomnia.

Vigilum ſomnia vana vocant] Hoc ex Platone ſumptum eſt, qui dicebat τὰς ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι. hoc eſt: *Spes eſſe vigilantium ſomnia*. Et Quintilianus lib. 6. cap. 3. Spes inanes, & tanquam ſomnia quædam vigilantium. Quo videtur alluſiſſe Maro in Bucolic.

------ an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingũt?

Non enim eſt qui verbis poſſit facilè conſequi, quàm varias in animo patiãtur imaginationes, qui vehemẽter aliquid ſperãt. Atq; his inanibus ſimulachris perinde afficiuntur, ac ſemet oblectant, ac ſi iam tenerent, quæ ſibi pollicentur. Pindarus in Olymp. 12.

------ αἵ γε μὲν ἀνδρῶν
πόλλ᾽ ἄνω, τὰ δ᾽ αὖ κάτω
ψευδῆ μεταμώνια τέμνοισαι, κυλίνδοντ᾽ ἐλπίδες. id eſt:

Spes etenim mortalium, multa ſurſum, deinde verò deorſum vana mẽdacia ſecãtes voluunt.

Rhamnuſia vnde dicta.

Scelerum Rhamnuſia vindex] Nemeſis, quæ etiam Rhamnuſia dicta, quia eius ſtatuã ab inclito ſtatuario Agoracrito fabricatam coluit Rhamnus, nobilis Atticæ pagus, teſte Pauſan. in Attic. De Nemeſi Pomponius Lætus in Romanarum hiſtoriarum compendio ſic ait: Virgo & victrix Nemeſis numen fuit, quo qui ex malefa-

Nemeſis quod numen fuerit. ctis delinquebant, puniebatur. Vnde victores Nemeſin non fruſtra inuocabant. Romani enim ſemper iuſta mouere arma; cæteræ nationes odio & maleuolentia liuore que quod imperium tantæ vrbis iuſtitia augeretur, tela in populum Romanum capiebant. Nemeſis, quam pleriq; exiſtimaue re eſse vim fortunæ, alij filiam Iuſtitię, alij vim quandam eſse inter cœleſtes diſcurrẽtem, prima rerum ſemina, quæ fatorum & ſortium vires temperat, atq; emendat, rebus humanis trutinam adhibens, è cęloque terrena deſpectans, nocentes punit, bonis præmia largitur. Et cum ſit velociſſima, quia diu non permittit impios pręeſſe atq; graſsari, alata fingitur à veteribus, & eius pedibus ſupponitur rota, cùm citiſſimè diſcurrat. Sed tandem multitudine ſcelerum indignata, oculos iam diu à rebus humanis auertit, & cum genitrice in remotiore parte cœli vltra terrarum regiones non reditura renaſcentem vrbem expectat. Rhamnuſia eſt appellata ab Rhãnunte oppido Atticæ regionis, vbi tẽplum & ſimulacrum habuit: & ab Adraſto, Adraſtia. Romæ templum huic Deæ poſuit in Capitolio, vt inde ſuam vrbem poſset vicisci. Hæc ille. Vide quæ ſupra Emble. 27. de Nemeſi accumulauimus.

Vt ſperes nil niſi quod liceat] Quælibet enim ſperare nõ eſt cuiuslibet. Itaq; in hoc præcipuè illud animo fixum hæreat, *Ne quid nimis*. Fortunæ, vt naturæ noſcenda eſt menſura ſuæ. Nec verò ſapiunt, qui altius ſpirant, pluſq; animi gerunt, quam virium habeant.

IV. ELEGANS eſt Spei deſcriptio per Dialogiſmum, cuius nempè vires & adiuncta conuenientiſſimis ſymbolis explicat. Ea enim hominem lætum reddit, & ſemper meliora expectantem ad mortem vſq; comitatur. *Spei effecta.* Ea tamen ſi importuna ſit & immoderata, vltricem Rhamnuſiã ſecum aduocat; quæ vota plus æquo ambitioſa faciat irrita. Sed quia hæc ſingillatim ſuis locis tacta ſunt, plura de his addere ſuperſedeo. Qui plura de ſpe cupit, adeat Stobæum ſerm. 109. & alios; nos ad porcum properamus vlterius.

In dies meliora.

EMBLEMA XLV.

ROSTRA nono mihi ſetigeri ſuis obtulit anno,
Hacq; cliens ventri xenia, dixit, habe.
Progreditur ſemper, nec retrò reſpicit vnquam,
Gramina cùm pando proruit ore vorax.
Cura viris eadem eſt, ne ſpes ſublapſa retrorſum,
Cedat, & vt melius ſit, quod & vlterius.

COMMENTARII.

I, PORCO terram roſtro ſuffodiēti, cui aſſcriptum ſit VLTERIVS, aſtet ruſticus, qui verſus duas columnas ſymbolum Caroli V. habentes, PLVS VLTRA, manum extendat.

II. RVSTICVS quidam Alciati cliens Kalendis Ianuarijs porcinum caput pro ſtrenis obtulit. Hinc ſibi Emblematis argumentum nactus Alciatus, ex natura ſuis (*Natura porci;*) (qui dum ſiliquas ore reflexo colligit, ſemper vlterius progrediens, nunquam retrò aſpicit) nempè vt nihil procraſtinādo meliora ſequamur, neque temporis aliquam particulam ſinamus effluere, quod non pertineat ad aliquē progreſſum, & rei melius gerendæ occaſionem. Alludit autem ad extremum (vt ne in minutulis etiam otioſum deprehendas) ad ſymbolum Caroli V. Imperatoris quod eſt VLTERIVS, (*Symbolū Caroli V.*) Epigraphen hanc, *In dies meliora.* videtur attigiſſe Tullius 1. de legibus: Ego animi pendere ſoleo, ait, cùm quid orſus traducor aliò; neq; tam facilè interrupta contexo, quàm abſoluo inſtituta. Non abludit Corn. Tacitus initio libri de Oratoribus: Huius libri editionē maturaui, vt dimiſſa priore cura huic nouæ cogitationi toto pectore incumbam. Hæc ille.

III. ROSTRA] Synecdoche numeri. (*Roſtrum.*) Roſtrum autem nō ſolum de auibus dicitur, ſed etiam de alijs animantibus, & de ipſo homine. Plaut. Menæch.

Apud menſam plenā homini roſtrū deliges.

Roſtra caprarum dixit Var. 2. de re ruſt. c. 3. Canum Plinius lib. 8. cap. 4. Suum Cicero 1. de Diuinat. A ſimilitudine autem roſtri auium pars nauis exporrecta & acuminata, ex ære ferrove in prora eminens, roſtrum appellatur; hinc naues roſtratæ, quæ etiam æratæ dicuntur.

Nono anno] Kalendis Ianuarij, quo die etiam hodie ſtrenas mittēdi obtinuit vſus.

Setigeri ſuis] proprium porci epithetō, ſetiger, vel ſetoſus. Virgil. 12. Æneid.

Setigeræ fœtum ſuis, intonſamq; tridentem
Attulit.

Dicuntur autem ſetę à ſue, quaſi ſuetæ; & ſunt pili craſſiores, rigidi atq; erecti, quales ſues habent. (*Seta;*) Et licet leonum & equorum pili propriè dicantur iubæ, tamen etiam nonnunquam ſetę vocātur. Cic. Tuſc. 5. In hoc medio apparatu fulgentē gladium è lacunari ſeta equina appēſum demitti iubet. Dicuntur item ſetæ de homine. Ouidius:

Barba viros, hirtæq; decent in corpore ſetæ.

Plautus Caſina:

Ita quaſi ſetis labra mihi cōpungit barba.

Setas denſum pilorum & barbitii horrorem vocat; vnde etiam, barba ſetoſa.

Cliens] Cliens eſt correlatiuum patroni: nam patronus eſt defenſor cauſæ, cliens verò defenſione indigens, id eſt, litigator, qui patronum ſequitur, vt ab eo defendatur in iudiciis. (*Cliens;*)

Xenia.] ξένια, munera hoſpitibus dari ſolita, quæ verò remittebantur, apophoreta dicebantur. (*Xenia;*) Hinc Martialis duos poſtremos epigrammatum libros Xenia, atque Apophoreta appellauit, quod in ſingulis diſtichis deſcripta ſint munera, quæ mitti ſolebant, & diſticha ipſa pro muneribus, hoc eſt, pro xeniis & apophoretis miſſa. Hic verò intellige ſtrenas, amicorum donaria, quę Kalend. Ianuarii vltrò, citròque exhiberi ſolita. (*Strena;*) Ex L. Pomponio: Pictoribus aſſide, ſi qua ventura eſt alia ſtrena ſtrenuè. Quò loco aduertimus ſtrenam à ſtrenuitate dici, vt apud Nonium, Iam quidem kalendas anni auſpices antiquitas ſacrauit, quibus & ſtrenæ donarentur. Qui mos à Tatio rege poſteris trāſmiſſus, cùm verbenas felicis arboris ex luco ſtrenęs noui anni auſpices primùm accepiſſet, vt videre eſt apud Symmachum: quod argumētum iam inde fuit viris ſtrenuis eas de-

beri,& ob virtutem elargiendas. Ex eo colligimus, occaſione munuſculi à ruſtico cliente dati, artificem ingenioſum Alciatum egregiam ſentẽtiam captaſſe,& rationem arripuiſſe philoſophandi.

Ventri habe] Proſopopœia ruſtica ruſtici hominis. Solebant autem pro Xeniis plerunq; mitti lauta obſonia & delicatiores cibi; quod ex Apuleio colligo: Mittit mihi, inquit, xeniola porcum optimum, & quinq; gallinulas,& vini cadum iam ætate pretioſi. Obiter hic noto, priſcis Italis carnes ſuillas in magnis delicijs fuiſſe, pręſertim vuluam ſuillam. Vnde Martialis:

Carnes ſuillæ in delicijs.

Te fortaſſe magis capiet de virgine porca,
Me materna graui de ſue vulua capit.

Lucanis quoq; Italiæ populis Lucanicas, genus farciminis ex porcina carne, acceptas referimus. Quomodo verò hę fiant, lingua Italica tibi dicet ipſe porcus in Sphingem mutatus:

Ænigma Lucanicæ.

Eſſenda ſtato in vita ſan del corpo,
Dopo morte pigliai la pelarella.
Hebbi già le budella dentro al corpo,
Ed hora hò il corpo dentro à le budella.
De le quali entrar debbo à vn altro corpo,
E quindi girmi à ſotterranea cella.
Là oue ſenza Sol m'aſciugherò,
Perch'eſca ad ingraſſar chi m'ingraſsò.

Sed parum abfuit, quin me porcus extra chorũ ſaltare faceret. De carne ſuilla plura habes apud Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 25, & 26.

Progreditur ſemper] Hinc occaſio captata Emblematis; & fit alluſio ad ſymbolum Caroli V. Imperatoris, VLTERIVS.

Gramina] Quiſquilias, furfures, & alia.

Ore pando] Roſtro reflexo, recuruo. De voce *pandus*, diximus Emblemate 7.

Cura viris eadem eſt] Itidem debẽt curare homines, ne fruſtrentur ſua ſpe, rebus quę cupitis.

Vt melius &c.] id eſt, δευτέρων ἀμεινόνων.

IV. *In dies meliora.*

PERTINET hoc pręceptum ad ſedulos & diligentes, qui ſemper in melius proficiunt, non procaſtinant, non differunt, neq; moras nectunt, & diutiùs conſultando ſibi mera ſomnia fingunt: deſidẽt interea, ſpeq; vana ſeſe lactãt; vt ille apud Martialem, qui ſe nunc cauſſidicum, nunc ſe Rhetora fingeret, aut ſperaret neſcio quid, nunquam tamen ſe proueheret: inani certè ac ſupina cogitatione, imò vęcordia planè delira. Nam, quod Seneca epiſtola 13. Inter cętera mala hoc habet propriũ ſtultitia, ſemper incipit viuere. Ad id traduci poteſt quod Senec. diſputat de Benefic. lib. 2. cap. 16. quò loci ait, vitam ſemper inchoare, moleſtum: Idẽ ad fin. epiſt. 69. & pulchrè paulo antè epiſt. 63. Nõ inconcinnè illud Horatii:

----- viuendi rectè qui prorogat horam
Ruſticum expectat dũ defluat amnis. -----

Certè ne pluribus, puto generali ſententia emblematis intelligi τὴν εὐημερίαν, hoc eſt, felicem diei ſucceſſum, qua voce Cicero vſus ad Atticum 9. Contrarium eſt adagium, *Mandrabuli in morem res ſuccedit:* cui conuenit illud Maronis 1. Georgic.

----- Omnia fatis in peius ruere.

Quid ſi hoc referamus ad ſtudii Philoſophici aſſiduitatem, vt Plutarchus facit diſputatione de profectu morum? Sic enim ille: ἐν τῷ φιλοσοφεῖν οὐκ ἔστι ληγούσης διάλειμμα προκοπῆς, οὐδὲ στηριγμός. In philoſophãdo & virtutis itinere nulla eſt ceſſatio, nulla perpetui progreſſus intermiſſio. Contrà, miſerè & nonnunquam improbè deſipiunt, qui ſuis ita malè rebus proſpiciunt, vt quo magis ætate prouehantur, peiores euadant: Sicuti Menedemus permultos Athenas ſtudiorum cauſa proficiſci dicebat, principio ſapiẽtes, deinde philoſophos, poſtea Rhetores, tandem idiotas. Qui itaq; ſe meliorem in dies facit, quaſi ſeipſum vincit: qui in deterius abit, vinci ſe ignauè permittit. Quod Plato 1. De legib. ait eſſe turpiſſimum: ἡ ἧττα δὲ αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον. In varijs Caſſiodori formulis multa sũt, quibus hic locus commodè poteſt exornari. Alacriter, ait, incumbendum eſt inchoatis, cùm iã exſpectatur aliquid, quo nos profeciſſe gaudeamus: ſpes enim efficiendi laboris tędium adimit: magnumque illicium & incitamẽtum, ſi nobis perſuadeamus id perfectum iri, quod percupimus. Idem lib. 8. Natura ipſa boni adhibita perſeuerantia prælitur; quia mitius eſt, ſi quæ laude digna iudicantur, incipiamus, quàm quod conſultò eſt inceptum perſequamur.

Aſſiduitas.